



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiae, 1688**

Instructio de synodalibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

## De cooperatoribus in cura & functionib. 411

tionem verbi divini, in Ecclesia sua publicè sibi sumere audeat, nisi doctrinâ, moribus & vitâ probatus fuerit à Nobis, nostro Vicario in spiritualibus, aut officiali approbationem, aut benedictionem ad prædicandum obtinuisse fidem debitam fecerit: privilegiis contrariis quibuscunque & consuetudine etiam immemoriali non obstantibus.

**H**anc constitutionem pastor in admissione concionatorum ideo diligenter observet, quòd decreto magni Concilii Lateranensis, omnes qui prohibiti, vel non missi, præter auctoritatem ab Apostolica Sede, vel Episcopo loci susceptam, publicè vel privatim prædicationis officium usurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodari, & nisi quantocyùs resipuerint, alia competentì poenâ plecti jubeantur.

**N**on permittat pastor ulli vago, ignoto, peregrino sacerdoti, sive sæculari, sive regulari in sua Ecclesia parochiali aut filiali celebrare, aut alios actus sacros, seu functiones exercere, priusquam de ordinatione ritè adepta, de què vita, moribus, eruditione, & titulo fidem fecerit per ordinarij sui seu respectivè superiorum suorum litteras, aut publica instrumenta, nulloquè Ecclesiastico impedimento se ab executione Ordinis arceri: & à nobis aut vices ad id gerentibus licentiam in scriptis habuerit.

**P**astoris etiam munus est, ne sacrarum foundationum jura in sua Ecclesia intercidant: idcirco curabit, ne Altaristæ, aut Primisarii quidquam, quod eorundem functioni incumbit, negligant.

## INSTRUCTIO DE SYNODALIBUS.

**S**ynodales ita dicti ex Majorum nostrorum traditione quod in parochiali synodo ceu scabini Ecclesiarum parochialium, & post parochum sint præcipui, & fidelitatis juramento Ecclesiæ obstricti: quorum munus versatur tum circa externa temporalia bona ac Ecclesiæ jura, tum verò circa spiritualia, bonam nempe morum ac vitæ disciplinam.

*§. 1. Prior pars officii synodalium, quod eos pastor docebit.*

**P**rimò, ut bona temporalia Ecclesiarum, confraternitatum, imò & ipsum templum unà cum cœmeterio & domo pastorali, & schola in statu bono conserventur; neque vites aut arbores ad Ecclesiarum, aut ejusmodi domorum parietes plantentur ad damna à radicibus & ramis præcavenda. Annuæ examinationi rationum aut computus Ecclesiæ, si non omnes, ut expensis parcatur, saltem senior & junior adsint, hic ut discat, alter ut informet super Ecclesiæ statu. Insuper post decursum decenniū bonorum illorum descriptio cum confinibus seu terminis renovetur, & ocularis inspectio sumatur. Quoniam constitutiones diœcesanæ Anno 1668. publicatæ illa credita aut debita reliquis præferri præcipiunt, quæ judiciales hypothecas protocollo ejus judicii, sub cujus jurisdictione sunt situata inscriptas habent, idcirco pastor & synodales debitores Ecclesiæ coram protocollo judicii presentibus duobus ejusdem judicii scabinis sistant & debita Ecclesiæ inscribi curent: ne deinceps experiri oporteat Judæorum credita ob eorum in hoc passu vigilantiam, præferri creditis Ecclesiarum, dumque debitorum facultates utrisque non sufficiunt, ablatâ per eos substantiâ pro Ecclesia nihil superesse, quod aliâ negligentia Pastoris & Synodalium adscribetur.

**D**einde faciant, ut redditus & bona ad fabricam aut alium usum Ecclesiæ, confraternitates, Parochum, aut quoscunque Ecclesiæ ministros, spectantia in libro, quem illi in cista aut loco congruo asservabunt, fideliter annotentur.

**B**ona ejusmodi immobilia nullatenus absque consensu Ordinarii in scriptis recepto dividantur: quod si secus fiat, contractus de jure nullus, talis declarabitur; & qui illam alienationem attentaverint, poenâ arbitrariâ nostro Archi-Episcopali Fisco, aut Ecclesiæ assignandâ multabuntur. Elocationes ejusmodi bonorum non fiant ultra sexennium. Si quæ vineæ prorsus incultæ remansissent, quas nemo pro tam paucorum annorum emolumento vellet excolere, elocentur ad tempus arbitrio bonorum vinitorum, dijudicandum eâ conditione, ut totum emolumentum exinde conductor pro impensis & labore recipiat, & tempus locationis tali vel alio modo abbrevietur, ne elocatio longior speciem alienationis bonorum, quæ à SS. Canonum præscriptis est aliena, proferat.

§. 2. *Posterior pars Officii Synodalis.*

**E**st, ut cultus Dei, & disciplina Christiana inspectione synodaliū concurrente melius conservetur, præcepta decalogi, Ecclesiæ & piæ consuetudines accuratiùs observentur: cum primis juventus in doctrina Christiana instruat: fietque bene, si nomina juventutis scholasticæ videlicet à septennio usque ad undecimum completum ætatis annum, quam ad scholas mitti oportet, descriptionem habeant, annuè aut biennio renovari curent, ut eò promptiùs neglectus animadverti possint. Si quæ ad correctionem denuncianda observaverunt, ea verò ipsimet annotare nequeant, singulis quatuor temporum dominicis à Pastore id secretò fieri curabunt.

Si in proclamatione sponforum aliquod impedimentum canonicum aut ipsi sciant, aut ab aliis audiant, id etiam quantocyùs Pastori deferant, ne cum Dei offensione contra ejus aut Ecclesiæ legem matrimonia contrahantur.

§. 3. *Quando & quam multam Pastor & Synodales indicere possint?*

**D**ubium oriri posset, an Pastori cum Synodalibus autoritas multandi sit tribuenda? tum quia talis coercitio, seu multandi autoritas est actus jurisdictionis fori exterioris, Pastoris autem officium videlicet regimen animarum fori conscientiæ sive internum tantummodò concernit, tum etiam quia alia pro jurisdictione exterioris fori scientia requiritur: tum denique quia parochianorum amor erga Pastorem per multationem faciliè extinguitur. Nihilominùs cum prior agendorum pastoralium liber, sub titulo quid custodes docere debeat Pastor? hæc formalia in fine habeat: *ut coram venerabili Sacramento perpetuò sit lumen, vel ex redditibus fabricæ, vel si illi sunt tenuiores ex collatione parochianorum, vel ex pænis à se & synodalibus irrogatis, delinquentibus,* & ex his ejusmodi autoritatem concessam, atque ex anno 1679. è Bittburgenfi & Kilburgenfi Decanatibus Ruralibus super causa quam synodaliū in Merteskirchen receptis attestatis, aliundè etiam ejusmodi multandi autoritatem in observantia viridi existere vide-

deamus: idcirco eandem facultatem approbamus, & continuari volumus in sequentibus circumstantiis, quando delictum non est grave & reus denunciatus (v. g. famulus) in loco donec visitatio subsequatur, non persistet, aut cum propter dilatam visitationem timor evanescit & disciplina Ecclesiastica videtur ob dilatas poenas contemni, tunc Pastor & Synodales conjunctim audient denuntiatum, qui si confessus fuerit, aut per testimonium synodalis, qui eum in delicto deprehenderit, convictus, in alterutro horum casuum, videlicet delicti confessi, aut veri à jurato synodali ex proprio ejus sensu asserti mulctâ moderatâ, quâ amor erga pastorem non extinguitur, corrigetur cum mansuetâ & paterna admonitione, ordinariè quartâ parte, mediâ vel integrâ ceræ aut olei librâ, vel æquivalente pecuniâ: quod si verò vel propter rei denunciati statum ditioem, vel aliam ob causam mulctâ modica contemni videatur, eandem aggravare usque ad duplum licebit.

Illæ verò mulctæ, nisi exsolvantur, implorato quantocyùs sæculari brachio exigentur: quod brachium, si denegetur, Nobis aut Officialibus nostris indicabitur.

Si verò delictum non sit leve, aut si reus neget nec à synodali fuerit deprehensus, ita ut hic de proprio sensu testari nequeat, idcirco cognitione aliquâ, testibus & probatione opus sit, tunc officiali aut fiscali denunciabitur.

#### S. 4. Modus eligendi Synodales.

Officium synodaliū ab antiquo honorificum semper fuit; idcirco non nisi qui probatæ vitæ nullâque infamiâ unquam notati fuerint juxta synodaliū vota eligentur, & ab Archidiacono aut jus præsidendi in synodo habente aut Decano Rurali instituentur, absque ullis expensis convivii aut remunerationis electoribus, aut instituenti præstandis, juxta inhibitionem à Prædecessore nostro anno 1622. factam. Qui munus illud inviti suscipiunt, divini cultûs aut disciplinæ matris Ecclesiæ parùm amantes se esse produnt, imò se omni honore indignos declarant, cùm scriptum sit. *Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Præstantque juramentum ante altare flexis genibus accensis cereis, post juramentum præstitum osculantur vel crucem missalis, vel crucifixum de altari illis porrigendum.

v. Reg.  
cap. 2.

JURA.